



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De duobus bonis, altero hic dato, altero promisso. K

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Vtrum sicut statura corporis, ita etiam sensu mentis par-
uuli nascerentur, & per accessum temporis proficerent in
sensu & notitia veritatis, s. an mox nati, in his es-
sent perfecti.* H

Et cum de corpore humano non sit absurdum
vel inconueniens hoc existimare, quæri solet, v-
trum de sensu animæ, & cognitione veritatis eo-
dem modo sentiendum sit, vt sc. hi qui sine pecca-
to nascerentur, sensu & intelligentia mentis im-
perfecti existerent, & per accessum temporis in his
proficerent vsq; ad imperfectionem, an mox con-
diti perfectionem sensus & cognitionis perciperent. Illi qui sentiunt paruulos natos, in statura
corporis & vsu mēbrorum per accessum tempo-
ris profecturos, nō diffitentur eosdem in exordio
natiuitatis sensu imperfectos existere, & per inter-
uallum temporis in sensu & cognitione proficere
vsque ad perfectum.

Responsio.

Contra illorum sententiam opponunt quidam. I

Ad quod quidam opponunt, dicentes. Si mox
nati non haberent perfectionem sensus & intelli-
gentiæ, ignorantia in eis esset. Ignorantia autē pec-
cati est pœna. Sed qui hoc dicunt, non satis dilige-
ter considerant, quia non omnis qui aliquid nescit,
vel minus perfectè aliquid scit, statim igno-
rantiam habere, siue in ignorantia esse dicendus
est, quia ignorantia non dicitur, nisi cum id quod
sciri & ignorari debet nescitur. Talisque ignoran-
tia pœna peccati est, cum mens vitio obscuratur,
ne cognoscere valeat ea quæ scire deberet.

*Quomodo
ignorantia
dicitur esse
in aliquo.*

*De hominis translatione in meliorem statum: & de duobus
bonis, altero hic dato, altero promisso.* K

Talis erat hominis institutio ante peccatum se-
cundum corporis conditionem. De hoc autē statu
transferendus erat cum vniuersa posteritate sua,
ad meliorem dignioremq; statū, vbi cælesti & æter-
no bono in cœlis sibi parato fruereur. Sicut. n. ex
duplici

*Hugo de sa-
cr. l. i. par-
te 2. cap. 6.*

1. Cor. 15 f.

duplici natura compactus est homo, ita illi duo bona conditor à principio præparauit, vnum temporale, alterum æternum, vnum visibile, alterum inuisibile, vnum carni, alterum spiritui. Et quia primum est quod est animale, deinde quod est spirituale, temporale ac visibile bonum prius dedit. Inuisibile autem & æternum promisit, & meritis quærendum proposuit. Ad illius autem custodiam quod dederat, & ad illud promerendum quod promiserat, naturali ratione in creatione animæ hominis inditæ, quia poterat inter bonum & malum discernere, præceptum addidit obedientiæ, & per cuius obseruantiam datum non perderet, & promissum obtineret, vt per meritum veniret ad præmium.

DE INVIDIA DIABOLI QVA AD HOMINEM tentandum accessit.

DISTINCT. XXI.

De hominis lapsu, seu peccato primorum parentum, & eorum tentatione.

Videns igitur diabolus hominem per obedientiam humilitatem posse ascendere, vnde ipse per superbiam corruerat, inuidit ei: & quia prius per superbiam diabolus fuerat idem deorsum lapsus: & zelo inuidiæ factus est sathan, id est, aduersarius. vnde & mulierem tentauit, in qua minus quam in viro rationem vigere nouit. Eius enim malitia ad tentandum virtutem timida, humanam naturam in ea parte vbi debilior videbatur, aggressa est: vt si forte illic aliquatenus præualeret, postmodum fiducialius ad alteram, quæ robustior fuit, pulsandam, vel potius subuertendam accederet. Primum ergo solitariam fœmineam explorauit, vt in ea primum omnem suæ tentationis vim experiretur.

Quare in aliena forma venit.

Sed quia illi per violentiam nocere non poterat ad fraudem se conuertit, vt dolo hominem supplantaret, quæ virtute superare nequiret. Ne autem fraus illi nimis manifestaretur, in sua specie non venit,

neg